

CAPUT IV.

De obesitatis variis incommodis, symptomatibus & conditionibus.

Incommoda varia, quibus obesi obnoxii sunt perbene complectitur verbis sequentibus *Avicenna lib. 4. Fen. 7. tract. 4. c. 5. f. m. 968.* quæ huc transferre nobis libet: Pinguedo superflua, ait, est impediens corpus à motu & deambulatione & operatione, coarctans venas coarctatione constringente eas: quare oppilat spiritui vias suas, quæ ob rem extingvitur multoties: & similiter non pervenit ad eos spiraculum aëris, quare corrumpitur propter illud complexio spiritus eorum: & sunt in timore quòd expellatur sanguis eorum iterum ad locum constrictum, quare fortasse findetur vena subito scissione perniciosa. Et in hujusmodi quidem dispositione, quæ est ante eam, accidunt eis constrictio, anhelitus, & pulsus cordis: quare succurratur tunc dispositioni eorum cum phlebotomia. Et isti quidem penitus expositi sunt morti repentina. Et ad summum mors super ultimos in pingvedine festinat, & proprie illos qui inpingvantur in prima ætate: ipsi enim minutas habent venas, & constrictas. Et sunt expositi apoplexiæ & paralyfi, & pulsui cordis, & diarrhoeæ propter humiditatem ipsorum, & malitiæ anhelitus, & syncopi & febribus malis: & non tolerant famem, neque sitim causa constrictio- nis meatuum spiritus, & vehementiæ frigoris complexionis & paucitatis sanguinis & multitudinis phlegmatis. Et homo quidem non pervenit ad ultimam magnitudinis impingvationis, nisi cum est frigida complexionis. Et similiter isti non sunt generantes neque producentes embryonem, & sperma ipsorum est paucum: & similiter, quæ de mulieribus sunt pingves non concipiunt: & cum concipiunt, abortiuntur, & earum appetitus iterum est debilis. Et cum isti quidem omnes curantur cum medicinis, non fortasse penetrant medicinae in venas eorum usque ad membra eorum læsa. Et quando infirmantur, non sentiunt nocuum- mentum velociter, quoniam sensus eorum sunt debiles. Et
phlebo-